

Dissertatio medica de partu / [Johann Lay].

Contributors

Lay, Johann.
Hafenreffer, Samuel, 1587-1660.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tübingen : J.A. Cell, 1655.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hn8cv27q>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

A. G. D.

DISSERTATIO MEDICA

De

PARTU,

Quam

Auctoritate & Decreto Collegii Medici
in Illustri Tubingâ

P R Æ S I D E

SAMVELE HAFENREFFERO,

Phil. & Med. Doctore ac Professore
Ordinario.

*Pro Privilegiis Doctoralibus
obtinendis,*

Publicè ventilandam proponit

J O H A N N E S *Say* / Biberacensis.

Ad Diem Junii, in Aulâ Novâ
horis consuetis.

TUBINGÆ,

Typis JOHANN: ALEXANDRI CELLI,

Anno M. DC. LV.



*Viris Integerrimis,
Parenti suo fideli & honorando,*

DN. JOHANNI Lay / Imperialis Reip. Biberacensis Consilia-
rio Secretiori, & Celeberrimi Xenodochii curatori, &c.

Fratribus suis Dilectis,

DN. JOHANNI GEORGIO Lay / J. U. D. ejusd. Reipubl.
Prætori & Consistorii Præsidi, &c.

DN. CHRISTOPHORO Lay / Civi & Mercatori ibid.

DN. JOHANNI NICOLA O Lay / &c.

Affinibus suis amanter honorandis,

DN. JOHANNI DAVIDI à WAGAW, Nobil. Saxon.

DN. JOHANNI JACOBO Altensteig / Mercatori & Judici
Assessori.

DN. JOHANNI JACOBO Gutermaun / majoris Senatus
Assessori, &c.

*Ultimum hocce suum Exercitium Academicum
Amoris, Cultus & Observantia ergò*

Dat, Dicat, Dedicat

Johannes Lay.

I. N. J. C.
 Disputatio Medica.
 De Partu Naturali.

Proœmium.



Num eundemq₃ O MNIBUS ad Vitam & in-
 troitum & exitum esse, quotidianus rerum cur-
 sus comprobat, sapientumque omnium calculus
 confirmat. In auras enim dum fetus, acerbo
 sanè enixu editur, actus illius primi, scena pri-
 ma, commune P A R T U S nomen sortitus est,
 de quo impræsentiârum dissertationem quandam instituere, in-
 gressumq₃ in hanc miseriarum vallem, non tam lachrymabilem,
 quam & admirabilem, Medicoq₃ comprimis profuturam, contem-
 plari libuit.

CAPUT I.

De Partu in genere.

§. 1. Tripliciter autem sumitur Partus vocabulum apud ^{Homony-} Authores. Hippocrates, quem multi Medici sequuntur, accipit pro ^{mia.} edito jam in lucem infante: Aristoteles & Plinius aliquando pro ipsâ gestatione usurpant: Alii quamplurimi Medicorum sumunt pro ipso pariendi actu, quæ propria partus est acceptio; estque in triplici differentia; vel enim 1. est *præternaturalis*, & dicitur Ab- ^{Differen-} ortus; vel 2. *nonnaturalis*, quando sc. non debito tempore & mo- ^{tia.} do in lucem prodit infans, & appellatur Partus illegitimus; vel 3. *Naturalis* sive legitimus, de quo hîc, estque duplex, facilis & diffi-
 cilis, de facili primò, ultimò agemus de difficili.

§. 2. Est autem partus naturalis geniti in utero infantis, atq₃ ^{Definitio.} jam perfecti, à facultate uteri expultrice, fetus ope irritatâ & adjutâ, in lucem exclusio.

§. 3. Editur verò & excluditur fœtus, cum nono decimovè ^{Modus} mense jam grandior factus, & copiosiore alimento, ac liberiore spi- ^{partus.} ritu,

ritu, pro ventilatione sui caloris, ob metum suffocationis, indigens, eoque locorum istis angustiis exitum quaerens sese convolvit, & capite versus uteri orificium tendit, crura verò sursum, & manus ac brachia etiam sursum ad femora dirigit, (hoc enim situ facilimè egreditur, contra verò difficilimè, & non sine matris & fœtus periculo) atque tunc si obstetrix digitum in orificium uteri immittat, quoddam rotundum & durum, instar ovi, ad id hæere percipit. Instante partu vehementius sese movet (id quod tamen nonnunquam molitur aliquo temporis spatio ante partum) & pedibus manibusque quasi calcitrat, calcitrando membranas, quibus involutus est, dirumpit, ruptis membranis, aquæ effluunt, viasque lubricas reddunt, & genitalia ita emolliunt, ut dilatari facilius possint. Postea infans majore impetu se movens involucra diffringit, & secundina ab uteri acetabulis avellitur, ac tum mater ventris lumborumque torsiones experitur, defluitque sanguis in cavitatem uteri, cumque nil amplius adhæret, excidit fœtus. *Egressum hunc juvat uterus & mater. Uterus*, facultate expultrice, quæ adversus jam erupturum pondus insurgit, & ab illo tandem se liberare satagit, fundum enim contrahit, & versus orificium adducit: Orificium autem aperit, cervicemque propriam insigniter dilatat, ut obstetrix digitum immittere possit. *Mater* verò spiritum validè cohibet, musculosque abdominis, præsertim transversos fortiter constringit; quibus constrictis, subjectus uterus comprimitur, & qui in eo continetur fœtus, per lubricam cervicem excluditur. Primùm ergò exit caput, post sequuntur membra capiti subiecta, collum, brachia, quæ ad costas porrecta sunt atque extensa, thorax, venter, pedes; Ultimus egreditur Umbilicus seu Vasa Umbilicalia cum secundina, quæ adhuc vasibus hisce adhæret.

Quæstio.

§. 4. Quæritur hîc, *an ossa pubis in partu divellantur?* Respondemus cum experienciâ, Spigelio, Sennerto, Sebizio & aliis, nec in omnibus, nec in nullâ hæc ossa hiscere, sed in illis tantum, quæ partum habent difficilem & laboriosum, cum aut infans est magnus, aut os uteri admodum angustum, aut fœtus multiplex, isque mutuò sibi cohærens, &c. In partu verò facili, prompto & expedito laxantur quidem ossa hæc, at minimè dehiscunt, & perfectè dearticulantur.

§. 5. Tem-

§. 5. *Tempus partus*, hominem concernens, statuimus, nonum decimumq; mensem in sua latitudine acceptos regularem terminum includere ac decernere, hanc quidem observatâ proportionem, ut tempus partus ex triplicato motionis, hoc verò ex duplicato formationis tempore emergat. e. g. si fœtus quinquaginta dierum spatio formatur, tunc duplo hujus exacto moveri intendit, videlicet die centesimo, qui numerus ter multiplicatus partus tempus scilicet 300. dies, sive decem menses partui dicatos producit, prout mensula hæc arithmetica ad oculum exhibet:

Dies	35.	40.	45.	50.	1. formationis.
	2.	2.	2.	2.	
	70.	80.	90.	100.	2. motionis.
	3.	3.	3.	3.	
Menses	210.	240.	270.	300.	3. partus.
	7.	8.	9.	10.	

patet hinc 1. formationis tempus incidere in mensis secundi quintiduum, vel primum, vel secundum, vel tertium, vel quartum. Innotescit 2. motionis tempus incurrere, mensis tertii decadem dierum vel primam, vel secundam, vel tertiam, vel deniq; primum quarti mensis decendum. Constat 3. tempus partus septimo, octavo, nono, vel decimo mense determinatum prodire. Et hæc temporis harmonia ab Hippocrate observata, & in libro ejusdem sexto de morbis popularibus com. 7. §. 29. evidenter satis expressa habetur, ubi inquit: Dolores per circuitus fiunt; qui autem in septuagesimo movetur, is in triplicato numero perficitur; qui verò in nonagesimo, is quoq; triplicato numero absolvitur. Idipsum sigillatius enumeravit *libro de alimentis*, dicendo: Ad formationem dies 35. ad motum 70. ad exitum 210. *Alii* dicunt: ad formam 45. ad motum 76. (melius 90.) ad perfectionem 210. (potius 270.) *Alii* ad speciem 50. ad transitum 100. ad perfectionem 300. *Alii* ad discretionem 40. ad transitum 80. ad elapsum 240. Non est, & est.

§. 6. Hic quaeritur, *an homo, sicut bruta, unum habeat statum pariendi tempus, an verò varium & multiplex*, quod ex Hippocrate scri-

Quaestio.

te scribunt, Plato, Aristotel. Galenus, Plinius, Gellius, quos pleriq; Neotericorum sequuntur? &. Nobis magis arridet sententia P. Zacchiæ (quam approbare videtur Sennertus.) statuentis, hominem, quoad nascendi tempus, nullum peculiare ab aliis animalibus, sed, veluti reliqua, determinatum habere, certâ tamen latitudine comprehensum, idque esse nonum & decimum mensem, à die scil. 15. noni, ad diem 15. vel ultimum decimi mensis, tum enim *πελεγογία* fœtum affecutum esse, liberiorisq; respirationis desiderio, ad exitum properare, reliquos omnes esse p. n. & Illegitimos. Hinc mulierculæ terminum gestationis ponunt septimanam quadragesimam, quæ dies faciunt 280, (legitimum Hipp. *f. 4. de alim. pariendi tempus.*) menses civiles sive coitus *Dæ 9.* cum dimidio, Solares verò menses 9. & dies decem. Idcirco non negamus, quinquemestrem etiam & sextimestrem & septimestrem & octimestrem partum interdum vitalem esse posse, sed præter naturæ regulam, uti de

Quinquemestri annotarunt Mena, Montuus, Vallesius, Cardanus, Schenckius.

De Sextimestri vitali habent Avicenna, Cardanus, huncq; partum aliquot rationibus confirmat, & vitalem esse probat Augenius. Rari itaque exempli est, quod Oswaldi Gabelkoveri Archiatri quondam Wirtembergici, Conjux, vigesimâ quartâ hebdomade nata, ad sexagesimum ætatis annum pervenerit, teste ejusdem filia, 78. annorum, adhuc superstite.

Septimestrem partum vitalem esse, vix sunt, qui dubitent. Ajentem enim tuentur Philosophi & Medici, ut Hippocrates, Aristoteles, Galenus, Plinius, Avicenna, Aphrodisæus, Lalamantius, Amatus Lusitanus, Valeriola, Lemnius, Sebizius, alii. Pro Illegitimo tamen partu habendum esse, satis docet ejus infirmitas, aliis enim plerumq; sunt debiliores, probari etiam potest ex Hippocrate, Aristotele, Lalamantio, Valeriola, Scaligero, &c.

Octimestrem editum nullum unquam vixisse author est Hippocrates, quæ sequuntur Pythagorici, Arithmetici, Aphrodisæus, Astrologi & Genethiaci, Medici & Philosophi haud pauci. Nos tamen, qui ante hos aliquot annos *in decade quest. med. questione ult.* Hoc

Hippocratis effatum non ἀπλῶς accipiendum esse, sed pro minus vitali nato ex Aristotele, Augenio, & Rhodigino statuimus, meritò hîc quoq; defendimus. Vitalem enim aliquando esse testantur, præter allegatos, Plinius, Gellius, Cardanus, Ficinus, Avicenna, Varro, Rhodion, Alex. Benedictus, Sebizius. Naxius partus, inquit idem Sebizius, pro Octimestri proverbio celebratur, quod in Insula Naxo felicissimè procedat. Anno 1652. Altorfi Octimestris vitalis editus est M. H. qui tamen ultrâ diem non vixit.

De Undecimestri, duodecimestri & aliorum mensium partu, sciendū etiā esse partus rariores, extraordinarios & illegitimos, neq; pro lege naturæ habendos, indicatiū enim est, Vires & matris & foetus esse debiles, caloremque nativum torpere, atque expultricem languere, undè plerumq; tales partus debiles sunt. Post decimum enim mensem foetui grandiori rarò spiritus ac locus in utero sufficiunt. Agellius quidem duos tales (*Undecimestres*) partus habet, unum ex Varro, habet & Plinius. P. Aponensis asserit, se Undecimestrem fuisse.

Partum annum, quem Agellius & Rodericus à Castro inter Raritates monstrosas referunt, eleganti Historiâ probat Augenius, aliam Historiam habet Sebizius.

De decimo tertio mense nato scribit Plinius, & Cardanus refert, patrem suum genitum esse mense 13.

Avicenna notat, fæminam post mensem 14. peperisse infantem vitalem. Similem observationem habet Alex. Benedictus.

Nic. Massa asserit, mulierem sexagenariam ex septuagenario sene concepisse, & mense 15. puellam edidisse, oculis & manibus privatam, quinque tamen mensibus superstitem.

De partu 18. & 20. mensium Historias habet Sennertus.

Renatus Thioneau edidit Historiam foetus 23. menses gestati.

Alb. Cranzius memoriæ prodidit, ex Duce Baruch, Vandale uxorem concepisse, & gravidam fuisse biennium, tandem peperisse infantem gradientem & loquentem.

Mercurialis mentionem facit cujusdam fæminæ benè habitæ, quæ quatuor annos gravida fuit. Et Diomedes Cornarius scribit, mulierem quandam Viennensem in utero gestasse foetum mortuum ultra quatuor annos.

Idem Cornarius refert, quandam 13. annos sceleton foetus mortui gestasse.

Schenckius narrat, aliam, puerum in marmoream duritiem conversum *annis gestasse 28* sed hæc, uti dictum, rara sunt, regulam ergò universalem non constituunt.

Causæ
partus in
genere.

§. 7. Cur autem partus modò citius, modò tardius fiat, ex causis ipsiusmet partus facilè cognoscitur. Est autem *partus causa quadruplex*. 1. Defectus nutrimenti. 2. Desiderium respirationis, ob metum suffocationis. 3. Uteri angustia. 4. Uteri offensio, ob molem foetus, gravitatem & morsum acerbum. (quanquam de primâ & tertiâ causâ dubitari possit, cum haud rarò gemellis ad nonum usq; mensem sufficiant.) hisce Internis adduntur causæ externæ, cum nimirù mulieres vel perterrefactæ, vel ad iram provocatæ, vel percussæ, vel lapsæ ab alto, vel morbo afflictæ, vel vehementius purgatæ, vel largâ sanguinis evacuatione in V. S. exhaustæ, vel alias causas passæ sunt.

CAPUT II.

De Partu facili.

§. 1. Sequitur ut jam *in specie agamus de partu naturali facili* cuius 1. Videbimus *causas*. 2. *Signa* partus facilis & foetus validi. post, *partus jam instantis*. 3. *Regimen parientium* (cum supra sat dictum sit *de modo partus*) & *Officium obstetricis*.

Causæ.

§. 2. *Facilis partus cause* sunt vel internæ vel externæ: Internæ pertinent vel ad matrem vel ad foetum: *quæ ad matrem* sunt, *si animosa* est, mörigera, patiens & mansueta, *si robustis viribus prædita*, *ætatis media*, *quæq;* aliquoties jam peperit (primiparæ enim majores habent dolores, ob dolorum infuetudinem, & viarum majorem coarctationem.) *quæ mediocriter corpulenta*, & *quæ uterum* habet decenter figuratum, legitimè auctum, debito modo situatum, probè temperatum, *non affectu* aliquo vitioso, vel per Idiopathiam vel per sympathiam *lasum*, facilitatem partus sibi polliceri potest.

Quæ ad foetum pertinent, sunt, *si vires* ejus sint vegetæ, quod ex infra positis signis cognoscitur, *si sit masculus*, *si magnitudo* corporis illius sit mediocris, sic quippè facilè permeat, nec cervicem uteri, viasque pariendi supra modum distendit, quod admodum est dolorificum,

rificum, si unus sit, & solitarius, si mobilis & inquietus, si membrana, chorion, non nimis sit crassa, nec valida nimis. Si vincula sint delicatiora, nec tenaciter nimis Utero adhærescant. Si mucor & ∇, quibus foetus innatat, vel paulò ante foetum, vel unà cum ipso effluant, vias enim lubricas reddunt, easq; emolliunt, ut facilè postea distendi possint, si denique debito modo, de quo supra, in caput, non in alias partes prodeat.

Externa è toxias causa sunt, aëris humiditas & caliditas (non tamen nimia) balneum aqua dulcis tepidum, præsertim si diebus aliquot ante partum fuerit usurpatum, in quo malua, althæa, artemis. fl. chamon. meliloti, &c. cocti sint, utaturq; mulier jusculis ex vino suavi & odorato, conditis cinamomo & croco, reliqui cibi sint humectantes, aluumq; laxantes; aluo enim evacuato intestinum rectum, utero, à transeunte foetu, dilatato, cedit, amplioremque locum parat; contra si aluo obstructâ ad partus labores accedat, non parum periclitabitur. Inunctiones dorsii, lumborum, Umbilici, Ventris imi, maximèque partium genitalium foris & intus administratæ & infusæ, ex oleis, medullis, axungiiis, mucilagibus & pinguedinibus, humectandi, emolliendi, laxandiq; facultate præditis, uti sunt ol. amygd. d. violar. chamom. de croco, jasmin. lil. alb. sesaminum, butyrum recens non salitum, medulla crurum vituli, pinguedo gallin. anser. human. suilla, vitulina, mucilagines sem. malu. alth. fænugr. lini, cydon. &c. fomenta item, ex alth. malu. lil. alb. atripl. brancâ urs. melil. ♀. capill. ♀. Verbasc. fl. cham. melil. seminibus jam dictis, &c. Medicamenta occultâ proprietate partum facilitantia & promoventia, quæ infrâ de partu difficili ponuntur. Conveniens & debita situatio sive collocatio Parturientis in sella obstetricali. Sedulitas, providentia & dexteritas Obstetricis, aliarumque astantium. Hippocrates mulieribus, quæ difficulter pariunt, paulò ante partum venas secat in malleolis, sanguinemque pro virium modulo detrahit, quem non paucæ è nostris sequuntur Germanis. Obstetrices quædam pediluvia parant. Medici adhibitis cordialibus, medicamentisq; foetum & uterum roborantibus, internis & externis, non parum partum facilitant, de quibus etiam infra paucis, pro ratione instituti, dicetur.

§. 3. Signa partus facilis jam addenda essent; verùm cum suf-

Signa fœ- ficientissimè ex allatis causis colligi possunt, saltem addimus. *Signa*
 tus Validi *fœtus Validi*, suntque 1. mammarum matris soliditas. 2. mentium
 suppressio. 3. sanguinis materni bonitas, quæ ex vivido matris co-
 lore, bonoque corporis habitu, & prægressa vivendi ratione lau-
 dabili cognoscitur. 4. matris constitutio sana. 5. motus fœtus
 creber & validus.

Signa par-
 tus instā-
 tis.

§. 4. Postquam ergò infans perfectus, & jam tempus parien-
 di legitimum, de quo suprà, adest, Ille exitum quærit, & Natura
 eundem expellere conatur. Ac tum 1. *Dolores* gravidam apprehen-
 dunt, qui ab umbilico ad inguina sese extendunt, & ex adverso in
 tergo oriuntur, quod si alius doleat, citissimè pariunt mulieres, quo-
 niam motus est vividus & verus loci; si imus venter, citò, quoniam
 propè est exitus; si lumbi, tardissimè, quoniam initia tantum matri-
 cis, quibus appensus est fœtus, petit, non autem ostium & cervicem;
 quod si cessent dolores, pro malo signo habetur, ideò forsan, inquit
 Sennertus, quod vis expultrix succumbat quasi. 2. fit *effluxus Uræ*
 ex utero, ob rupturam membranarum, quem 3. sequitur *locorum*
muliebrium humiditas, & 4. *Genitalium tumor, calor & dolor*, quia
 fœtus descendit, & genitalia distendit, quæ quandam patiuntur con-
 tinui solutionem. Hinc 5. *partium superiorum* circa umbilicum fit
gracilitas & subsidentia; Inferiorum verò, quæ supra pectinem sunt
 & inguina, distensio sive intumescencia. Exire enim desiderat fœ-
 tus, & tunc Obstetrices immisso digito eundem sentiunt. 6. Urinæ
 & fœcum incontinentia, propter Vesicæ & intestini recti compres-
 sionem. 7. dolor orificii ventriculi sinistri, & totius corporis turba-
 tio quædam. 8. Crebra & frequens respiratio, quia diaphragma
 quodammodo deorsum trahitur, inq; suo motu impeditur, quo fit,
 ut natura impedimentum illud frequentia compensare conetur. 9.
 magna fœtus inquietudo, frequensq; motus, appetit enim liberiorē
 aërem. 10. reclusio & apertio interni matricis orificii, (quam Ob-
 stetrix digito facilè animadvertit.) ut fœtus exire possit.

§. 5. Signa hæc partus jam instantis Obstetrices omnia dili-
 gentissimè perpendere debent, ne, antequam verum pariendi tem-
 pus adsit, sine fructu gravidam ad partus labores adigant.

Regimen
 Parientiū.

§. 6. Instante jam pariendi tempore, primò DEI T. O. M.
 auxi-

auxilium piis precibus est implorandum, totumque opus parturientis labori, ac Obstetricis, præsentiumq; fæminarum diligentia per-
mittendum (non nisi mulieres, quæ & ipsæ sæpius pepererunt ad
hanc operam admittendæ sunt; Virgines enim & juvenculæ nuper
nuptæ, & laborum istorum inexpertæ non admittantur, quia cla-
moribus & ejulatibus parturientis animum dejiciunt.) & parturiens
in sellam, ad rem hanc idoneam, & à tergo pannis atque laciniis ex-
pletam collocanda (non tamen prius, quam os uteri hiare incipiat)
sedeatque in eo reclinato dorso, & cruribus divaricatis. (*Nonnullæ*
præsertim quæ jam sæpius pepererunt, & fortiores sunt, stantes
pariunt; nonnullæ in lecto.) fæminam ita ad pariendum collocatam,
Obstetrix benè sperare jubeat, & ad obsequendum alacriter hor-
tetur, eamque cibo & potu recreet, in pauca quidem quantitate sed
frequenter, cumq; dolor sese exerit, & uterus se aperire conatur, im-
peret, ut spiritum, quantum potest, cohibeat, nec clamet, musculos
abdominis fortiter constringat, & omni conatu infantem extrudere
conetur; Ipsa etiam Obstetrix, vel astantes mulieres, uteri, quod
supra umbilicum est, molliter manibus comprimant, id enim par-
tum ad inferiora depellit. *Notandum* tamen, dum dolores non ur-
gent, fæminam à tali conatu cessare debere, ne causam præbeat, ut
fœtus invertatur, seq; ipsam frustraneo labore fatiget, ut cum po-
stea laborandum fuerit, sufficere labori amplius nequeat. Interim
corpus mediocriter exerceat agendo, movendo, eundo, stando, &c.
Hæc enim partum promovent, & ad egerendum adjuvant, mon-
stretque parturienti Obstetrix motum convenientem in sellâ, & in-
ungat manus suas, & uterum fœminæ oleis, supra dictis. Et ubi
gravida in sellâ jam confedit, ipsa Obstetrix ante ipsam in humili
sellâ sedeat diligenterque observet, quantum ac quatenus se partus
moveat, quem prodeuntem tandem excipere possit. *Exceptum in-*
fantem. manibus, linteo molli, obductis, tractet diligenter, cavendo,
ne ulla pars lædatur.

§. 7. *Edito in lucem infante,* sanguis vasorum umbilicalium
versus infantis umbilicum reprimendus, & ea ad longitudinem qua
tuor transversorum digitorum abscindenda sunt, (cavendum hic,
ne multus sanguis profundatur, compertum enim est, talem hæmor-

Officium
Obstetri-
cis.

hagiam infanti mortem attulisse.) Umbilicus verò, filo ad ventrem, pollicis à ventre spatium, mediocriter constringendus, vulneriq; linteam duplicatum, oleo rosac. intinctum, imponendum. Pauperiores semen cymini coquere possunt, & eodem modo pannum lineum eam imbuerè, & umbilico imponere.

§. 8. Diligenter quoque curandum, ut unà cum Infante *secundina* exeant, intus enim si retineantur facilè putrescunt, & noxii vapores postea sursum ad cor, cerebrum & Diaphragma ascendant, ex quibus puerperæ sæpè fiunt asthmaticæ, crebrò deficiunt, interdum etiam planè suffocantur & moriuntur. Quæ si ergò sponte suâ exire recusent, sed in utero restiterint, manu supra dictis oleis illitâ, & in uterum immisâ, paulatim, si utero cohæreant, hinc inde circumagendæ, & tandem extrahendæ sunt. Medicamenta varia, simplicia & composita, secundinas & fœtum expellentia, infra annotata sunt inter partum facilitantia.

§. 9. Quod si ipse *Infans grandior* foret, aut ipsum caput in foribus hæreret, Obstetricis erit, matricis ostia relaxare, & manu molliter admotâ, eâque oleo seu pinguedine perunctâ dilatare,

CAPUT III.

De Partu difficili.

§. 1. Hæc de Partu naturali facili dicta hoc loco sufficient, restat, ut de difficili verba faciamus, non quidem de præternaturali & Illegitimo, ut supra dictum, sed de naturali partu difficili, cum sc. sine figuræ vitio fœtus maturi fit expulsio cum difficultate. Etsi nunquam sine difficultate & dolore partus fiat, idque maximè propter lapsum Evæ, (physicas causas non excludimus) uti *Gen. 3.* extat. Multiplicabo (*femina*) ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios: tamen dum naturaliter se habet, fit sine gravibus symptomatibus, ut jam supra explicatum est.

Metho-
dus.

§. 2. Sicuti autem facilis partus causas varias, internas & externas suprâ proposuimus, Internasque divisimus in eas, quæ ad matrem, & eos, quæ ad fœtum pertinent: Ita hîc quoque eandem in partu difficili retinebimus divisionem; mox de signis diagnosticis verba,

verba faciemus, quæ Prognostica sequentur, hæc Indicationes, ultimò de Curatione sive facilitatione, pro Instituti ratione, quam brevissimè dicemus.

Causæ.

§. 3. Sunt ergò *quæ ad matrem pertinent δυσκολίας causa interna*, si timida est, verecunda nimium, impatiens, obstrepera & refractaria; debilis, ut in partu nihil aut parum laborare possit; si nimis vel Juvenis, v. g. 12. 14. aut 16. tantum annorum, ut naturæ meatus adhuc admodum stricti sint: vel aliquantulum annosa, 40. scil. aut 50 annorum, ut partes jam sint sicciore, & facilè dilatari nequeant; adhæc, quæ prius nondùm peperit, quæq; temperamento est sicco, habitu corporis gracili & macro, aut contra crasso valdè & obeso, *difficulter parit*, crassities enim vias reddit angustiores: gracilitas autem & macies musculorum abdominis, præterquam quod siccitatis signum sit, foetus exclusionem nihil juvat. *Ægrè insuper parit*, in quâ vel uterus, vel partes utero vicinæ, vel corpus totum laborat *Vteri affectus sunt*, ulcera & fissuræ cervicis, tumores, ut inflammatio, scirrhus, cancer, &c. Item caro aut durum aliquod tuberculum cervici aut orificio interno adnatum; longitudo & angustia cervicis (in tali enim foetus immoratur plurimum) distorsio & obliquitas ejusdem. *Vicinarum partium vitia sunt*, vesicæ repletio, apostemata & calculus effatu dignus; Intestina à copiosis durisque fæcibus obstructa, & à flatibus distenta, harumque partium tumores & ulcera, huc pertinent & tumentes hæmorrhoides, magnitudine insignes, & numero plures; dolent namque vehementer, dum foetus exitum molitur; Ossa coccygis & coxendicis malè formata & sita in claudicantibus. *Totius corporis affectus sunt* febres & tabes, s. *aph. 55.* Difficilem partum facit etiam dispnæa & asthma; Opus enim ad partum spiritus cohibitione, at hunc cohibere anhelosi nequeunt, periculum enim est, ne suffocentur. Si prægnans doloribus afficitur, qui non ad inferiora uteri descendunt, sed supra umbilicum hærent, aut retrò in tergum residunt.

Ex parte foetus causa sunt, Ejus infirmitas, vel ob morbos matris, inedia, pravos appetitus, vacuationem immodicam, ictus, casus, pathemata, medicamenta acria, &c. vel ob morbos proprios; **Sexus fæmininus**; Corporis, aut saltem capitis, magnitudo insignis;

foetus geminus, tergeminus, &c. & imprimis, si uterque eodem tempore exitum quærat, aut si foetus molam coherentem habeat; Ejusdem quies & immobilitas, aut omnimoda extinctio; Chorii crassities, foetus monstruosus, constans duobus capitibus, qualem Eucharis Rhodio habet, vel quatuor brachiis, &c. locorum muliebrium siccitas, quæ fit, cum aquarum effluxus longo tempore foetum præcedit; exitus denique aut pronus, aut supinus, aut obliquus, aut in extremitates corporis, manus scil. atque pedes, &c.

Externa difficilis partus causa sunt, aëris frigiditas & siccitas, vel nimia caliditas vires dissolvens; asservatio pyrorum vel cydoniorum, &c. in conclavi, in quo degit Pariens, item mastiches aut thuris, cum etiam vapores istarum rerum constringant; balnea siccantia & astringentia; cibi astringentes; Vita otiosa & sellularia; Obstetricis imperitia & adstantium oscitantia; Odoratarum rerum fragrantia, hæc enim uterum sursum allicit.

Signa diagnostica.

§. 4. *Causas sequuntur signa,* & primò quidem *diagnostica,* quorum etiam ut & prognosticorum, non pauca ex allatis causis colligi possunt; Illis tamen superaddimus seqq.

1. Si quæ mulier antea difficulter peperit, & est debilis.
2. Si dolores partus sint languidi, & ad dorsum potius, quam versus inferiora vergant.
3. Si foetus debilis, *cujus Indicia sumuntur* 1. ex lactis è mammis gravidæ copioso fluxu, *s. aph. 5* 2. quem necessariò earundem flacciditas comitatur. 2. ex menstruorum frequenti & copiosâ vacatione, *s. aph. 60. & l. 1. de morb. mul.* 3. ex sanguine matris seroso. Is autem talis esse dignoscitur ex cavitate oculorum, faciei tumore, mole pedum totiusq; corporis turgida, qualis visitur in anasarcâ laborantibus, pallore aurium & nasi, ac livore labiorum; talis namq; sanguis foetum minimè nutrit, necessum igitur est, ut alimento convenienti destitutus, aut intereat aut ægrotet, teste Hippocrate. *l. de superfœt.* 4. ex ægritudine matris (Authore Avicenna.) præsertim acutâ, *s. aph. 31.* deindè magnâ & vehementi, ut apoplexiâ, convulsione, &c. tertio ex iis morbis, in quibus corpus magnoperè vacuatur, uterus irritatur, vincula quibus foetus alligatur, solvuntur & laxantur, ut sunt alius profusior, *s. aph. 34.* tenesmus, *7. aph. 27.* quarto ex iis,

ex iis, in quibus V. S. 5. aph. 30. & purgatio, 4. aph. 1. necessaria est. 5. ex quiete foetus, Avicenna iterum authore, cum scil. raro aut obscure leviterque movetur.

4. Si foetus mortuus sit, *cujus signa sunt* 1. Immobilitas imi ^{semortui.} ventris. 2. hypogastrii frigiditas. 3. ponderis alicujus sensus, quod lapidis in modum de latere in latus decumbit. Hipp. l. de *superfatat.* Quod si foetus jamdudum obierit, & jam computruerit, signa sunt longe graviora, 1. enim halitus matris foetat. 2. febris laborat putrida, eaq; continua. 3. caput dolet. 4. Ichores male olentes effluunt ex utero. 5. putridae carniū portiones ex eodem emanant, *vid. de his duobus signis Hipp. lit. cit.* 6. Venter inflatur, ob putridorum halituum copiam. 7. mater gravatur magis, quam ante ultimum foetus diem. 8. mammae gracilescent & flaccescunt. 9. cibi inappetentia. 10. Sitis, causa est febris putrida. 11. horrores. 12. Visus caligo. 13. Insomnia turbulenta. 14. malarum rubor. 15. fegnities ad motum. 16. languor totius corporis, & lypothymia subinde obrepens. 17. Vigiliae, 18. stranguria, propter consensum uteri. 19. assidua desidendi cupiditas, eandem ob causam. 20, facies tumida, ob halitus malignos. 21. dolor circa umbilicum & inguina, &c. *vid. Hipp. l. cit. & lib. 1. de morb. mul.*

5. Si foetus nimis magnus sit, vel caput magnum habeat, aut foetus sit geminus, tergeminus, &c. & Viae sint angustae, quae omnia ab Obstetrice explorari possunt.

6. Si secundinae sint crassiores, ut rumpi non possint, *cujus signum est*, quod partus labores perseverent, & nihilominus aquae non effluunt.

§. 5. Prognostica sunt 1. In omni partu difficili cum mater ^{Progno-} tum foetus periclitatur, ob gravia symptomata, quae in eo contin- ^{stica.} gunt, uti sunt e. g. torsiones Ventris imi, dolores intempestivi, vani atque irriti, profusio sanguinis immodica, non solum venosi, sed etiam arteriosi, sudoris eruptio, vomitio, virium debilitas, lypothymia, infantis internecio, perinaei disruptio, ut unum inter uterum & anum fiat foramen, tormina *Nachwehen* / secundina relictæ, relictæ mola, purgatio puerperii aut nulla, aut levis & exigua, tumor & dolor sinus materni, exitus ani, haemorrhoides caecæ, uteri ascensus, descen-
sus,

fus, descensus, prolapsus, aut in alterutrum inguen contorsio, hernia gutturis, Intestinalis & Umbilicalis, quæ frequentissima; Vasorum uteri & pulmonum ruptiones, constipatio alui, diarrhæa, tumor Ventris & pedum, febres insignes, cephalalgia, convulsio, delirium, melancholia, uteri strangulatus; urinæ incontinentia, &c.

2. Si mulier quatuor diebus in partu laboret, vix fieri potest, quin foetus moriatur, quia vires collapsæ sunt.

3. Præsentaneæ mortis indicia sunt, si pariens frigidum defudat, & arteriarum pulsus concitator est, ipsaq; mater inter laborandum deficit.

4. Salutem verò promittunt, Inquietudo & agitatio foetus in utero, & cum dolores semper ad inferiora, antrorsum versus recurunt, sique pariens valida est, neque difficulter anhelatur.

5. Si partus difficilis fiat ob debilitatem matris, quæ febre, nec tamen acutâ valdè, & diuturnâ laborat, & mater & foetus servari potest.

6. Si partus difficilis fiat ob ossium pubis magnitudinem, foetus peribit, & nisi Chirurgi ope extrahatur, & mater de vitâ periclitabitur.

7. Omnes, foetus exitum quærentis, figuræ præternaturales periculosa sunt, ut interdum mater & foetus pereat.

8. Minus tamen periculi est, cum infans in pedes, præcipuè utrumque exit, (quos Agrippos, quasi ægre partos appellant.) sic etiam quando manibus exit, sæpe vitalem vidit Infantem Rodericus à Castro.

Indica-
tiones.

§. 6. *Indicationes*, quæ à causis sumuntur, his contrariæ esse debent. Si enim partus difficilis fiat ob debilitatem matris, vires ejus roborandæ sunt, & spiritus reficiendi. Si à secundinæ crassitie, ab Obstetrice ea rumpi debet, si ob magnitudinem foetus, viæ sunt laxandæ & dilatandæ, si morbus aliquis in viis hæreat, medicandus ille erit, antequam tempus pariendi appetat, & Chirurgus adhibendus, qui eo vitio prægnantem, quantum fieri potest, sublevet. Et cum habeamus medicamenta, interna & externa, quæ in omni partu difficili locum habent, & Virtutem expultricem irritant atq; confortant, & hinc medicamenta partum facilitantia vocantur, ea quoque usurpan-

usurpanda, quæ si non sufficient, ad Chirurgiam accedendum, fœtusque Chirurghi operâ extrahendus, qui partus tunc appellatur *Cæsareus*.

§. 7. Curatio sive facilitatio secundum Indicationes instituta. Curatio.
 tuenda est. Si ergò vires deficient, quibus tamen in tanto labore maximè opus est, omnibus modis reficiendæ sunt. Reficiuntur autem medicamentis internis & externis; Externè naribus admoveri potest panis recens vini odorato madidus; ✠ anthos, rosac. fl. tunic. Balsamum cinamom. citr. caryophyll. &c. Internè utilis est conf. alkerm. de hyacinth. spec. diamosch. diamarg. cal. aromat. caryophyllat. rosat. diacinam. conserv. meliss. rosac. viol. anthos. liquor perlar. ▽ cinamomi buglossata & borraginata, meliss. fl. tunic. carbunculi, cordial. ☉ potabile, syrup. granator. citr. perlar. ▽ perlar. syrup. de pomis, rubo Idæo, granor. Kermes, &c. Vid. Exc. D. D. Præsidi, Præceptoris fidelissimi & fautoris nostri nunquam non honoratissimi Officin. Pharmaceut. Macasii promptuar. mat. med. Tilemanni append. & alios, præsertim practicos.

§. 8. Medicamenta partum facilitantia, & quæ in omni difficili partu locum habent, proposuerunt in sat magnâ copiâ Authores jam allegati. Nos pauca, sed selectiora hîc addemus. Sunt autem ex simplicibus aristol. rotunda, dictamus Cret. Thymum, Satureja, Crocus, cinam, cassia lign. vera, myrrha, succinum alb. ℥ij. vel ℥j. pondere ex vino albo, vel ▽ aliquâ convenienti exhibitum. Corallia, Jaspis, borrax mineralis ad ℥j. vel ℥ss. consolida reg. intus & extra, Verbena, Calendula, fl. Keiri, luteum lil. albor. Jul. nuc. jugland. galbanum, Cimices lectularii, Wangen/ num. 3. exhibiti, mandibula Lucii piscis, officulum tali leporis, sanguis hirci, secundina & Vasa Umbilicalia humana siccata, senectus anguis, stercus accipitris, falconis, equinum, testiculi & ungula equorum. Urinam mariti quidam valdè commendant. Nos verò, parum Illi tribuimus cum Libavio, docente sic etiam experientiâ. Preparata sunt, ▽ Verbenæ, -Ω- secundinæ, ☉ cinam. gutt. ij. iij. ☉ lauri destill. lign. guajac. heraclei, succini, trochis. de myrrha, spec. diaborrac. Myns. pulu. secundinæ præpar. pulu. hysteric. & contra difficultatem partus apud J. D. Horstium in dispens. catholico.

§. 9. *Externè* Variæ medicamentorum formulæ adhiberi possunt, v.g. *suffitus*, qui parantur ex suaveolentibus (hîc obiter notandum venit, quod odorata, ut moschus, ambra, &c. quæ superius proposita medicamenta quædam ingrediuntur, naribusque & ori admoventur, cautè usurpanda sunt, in quibusdam enim potius partus difficultatem, quam facilitatem causantur, Talibus ergò foetida, ut sunt assa foetida & castoreum superius admovenda, Inferius verò ad pudenda, odorifera.) v.g. benzoë, ladanum, moschus, styrax calamita, &c. Pastinaca sylv. in suffitu specificum est, in uterum immissus: Vel *Vnguenta* ex sabina, Keiri, galbano, myrrha, croco, cinam. &c. Vel *illinatur* Umbilicus felle gallinæ nigræ; vel fiat *Cataplasma* ex herbis supra dictis & menses cientibus; vel fiat *Pessus*, &c.

§. 10. Si fæces in aluo duræ sunt, *clystere vel glande* elici debent. Clysteris materia possunt esse herbæ emollientes communes, item radic. flores & semina, in quorum decocto colato electuaria. v.g. lenitiu. bened. lax. flores cassiæ, & cassia pro clysteribus, &c. dissolvuntur, addunturque olea vel alia pro scopo, & ultimò Sal vel simile quid ad ℞j. vel ℞j.

§. 11. *Sternutatoria* etiam partum potenter promovent & facilitant, s. *aph. 35.* horum materia potest esse piper, galanga, tabacum, helleborus alb. euphorbium, &c.

12. Addenda sunt quoque *amuleta* quædam celebriora, talia sunt, præter superiora quædam, lapis aëtites femori alligatus, Item rad. asparagi, Coriandri viridis, femori vel plantis pedum alligata. Cyclaminis radix, filicis, polypodii, fraxinell. polygona, cruribus alligat. Artemisiæ herba viridis, trita & cruribus alligata prodest, matrisylva & satureja etiam infra alligata. Oculus leporis, mense Martio capti, cum pipere siccatus, Verticique impositus, partum faciliat: hoc ultimum quidam pro fabula habent, experientia itaque consulenda.

Auxilium
Obstetri
calc.

§. 13. Si ob *crasitiam secundina* partus est difficilis, tunc Obstetricis erit, illam unguibus leniter infricare & proscindere; aut si hoc commodè non potest, apprehensam inter digitos, oleo inunctos, forpice aut cultello leniter incidere, ita tamen, ne quid eo vulnere foetum perstringat.

§. 14. Si *magnitudo fœtus* difficultatem parit, laxandæ sunt viæ ab Obstetrice, iis remediis, quæ supra notata.

§. 15. *Gemini* si adsint, ita manibus Obstetrix eos regere debet, ne in exitu unus alterum impediat.

Hiscæ nihil proficientibus ad Chirurgiam, uti dictum, deveniendum, de quâ Illius artis authores consulendi.

§. 16. Quomodo *Dieta* instituenda in partu, ex superioribus satis colligitur. Regimen
Diæteri-
con.

Et hæc impræsentiarum de hâc materiâ dicta sufficiant, qui plura requirit adeat Practicos, in quibus sylva medicamentorum proponitur, quæ tamen omittere, quam transcribere malui.

Corollaria.

I.

An partus rectè dicatur *Crisis*? Neg.

II.

An masculus, dum in lucem editur, spectet deorsum, femella sursum? Neg.

III.

An & cur, à partu puella, diutius fluant lochia, quam ab exclusione masculi? Resp. ad 1. quod verum, ut plurimum: ad 2. quia masculus calidior & fortior, plus igitur alimenti attrahit.

IV.

An Lochiorum, an verò menstruorum supræressio peior? Resp. Lochiorum.

V.

An lochia ex uteri cavitate, an vero ex venis uterinis fluant?

Resp. ab utrisq̃.

VI.

An lochia primiparis molestiora sint, quam iis, qua aliquoties pepererunt? Aff.

TIBI O JESU SIT HONOR ET
GLORIA.

In nomine Domini Amen. Quia deus est spiritus et non
 visibilis, non potest esse in loco, sed ubi vult
 inhabitat. Quia deus est omnipotens, non potest
 esse in loco, sed ubi vult inhabitat. Quia deus
 est omnipotens, non potest esse in loco, sed ubi
 vult inhabitat. Quia deus est omnipotens, non
 potest esse in loco, sed ubi vult inhabitat.

Regimen
 Divisio
 con

Conclusio

In nomine Domini Amen. Quia deus est spiritus et non
 visibilis, non potest esse in loco, sed ubi vult
 inhabitat. Quia deus est omnipotens, non potest
 esse in loco, sed ubi vult inhabitat. Quia deus
 est omnipotens, non potest esse in loco, sed ubi
 vult inhabitat. Quia deus est omnipotens, non
 potest esse in loco, sed ubi vult inhabitat.